

SACRA ROMANA ROTA (*)

Coram R. P. A. DINO STAFFA, Ponente

Brixien. seu Mediolanen.

Sententia diei 20 aprilis a. 1956

NULLITATIS MATRIMONII (*De metu indirecto*)

IN IURE

In iure.—Tum in Ecclesia latina (can. 1.087 C. J. C.), cum in Ecclesia orientali saltem post Motum proprium *Crebrae Allatae* diei 22 februarii a. 1949 (A. A. S., vol. XLI, p. 106, can. 78), certum est metum gravem, extrinsecum et iniuste incussum, matrimonium irritare. Postquam tamen in citato Motu proprio pro Ecclesia orientali decretum est metum non dirimere vinculum nisi illatus sit ad extorquendum consensum, iterum ac frequentius disputari coepit utrum et in Ecclesia Latina eadem norma vigeret.

Per plura saecula, ut ex historia constat (cfr. M. WYSZYNSKI: *Utrum metus indirecte incussus dirimere possit matrimonium*, in «Jus Pontificium», a. 1930, pp. 193-200; a. 1931, pp. 42-51; a. 1932, pp. 43-52; a. 1933, pp. 52-63; G. DOSSETTI: *La violenza nel matrimonio in D. c.* [Milano, 1942], pp. 170 ss.), unanimiter Canonistae docuerunt metu vinculum non invalidari, nisi incussus fuisset ad extorquendum consensum. Sufficiat pro omnibus

(*) Comenzamos en este número la publicación de sentencias de los Tribunales Eclesiásticos, que no dudamos han de interesar a nuestros lectores.

Coincidiendo con la determinación adoptada por el Consejo de Redacción de esta Revista de comenzar esta publicación, hemos recibido esta sentencia de la Rota Romana, cuya divulgación interesa al Colegio rotal. No necesitamos encarecer la importancia de este «in iure» con el que inauguramos nuestra sección de jurisprudencia. Los lectores que asistieron a la Semana de Montserrat, en la que se estudiaron temas de nulidad de matrimonio, recordarán la animada discusión que siguió a la ponencia sobre el miedo (cfr. J. RODRÍGUEZ: *Nulidad del matrimonio por miedo grave*, en «Las Causas Matrimoniales: Trabajos de la IV Semana de Derecho Canónico celebrada en el monasterio de N. S. de Montserrat» [Salamanca, 1953], pp. 345 ss.) acerca del valor anulatorio del miedo indirecto. La presente sentencia viene a situarse en el punto de vista sustentado por el ponente de nuestra Semana.

La otra sentencia, de la que es autor el excelentísimo señor don LORENZO MIGUÉLEZ, bien conocido de nuestros lectores, se refiere a un interesante aspecto de las causas matrimoniales, no sustantivo, sino procesal.

En los fascículos siguientes daremos a conocer nuevas sentencias. (N. de la R.)

referre verba TH. SANCHEZ: «Hac ergo in re est conclusio *certissima* apud omnes, nempe, quoties metus non est incussus ad extorquendum matrimonium, sive proveniat a causa naturali, sive libera, quantumvis gravissimus sit, non reddit irritum matrimonium... quia tunc non impellitur homo ab alio ad matrimonium, sed a se ipso: cum nullus tunc exigat matrimonium, sed voluntarie id contrahens eligit, tamquam medium ad evadendum periculum animae vel corporis... Quia involuntarium quod in eo matrimonio invenitur, non est intentum ab incutiente metum, sed tantum habet occasionem ex ipsius nequitia» (*De S. Matrimonii Sacramento*, l. IV, disp. 12, n. 3).

Primus qui ex professo contrariam sententiam proposuit, fuit J. B. DE LUGO: «Ratio autem—ait ipse—a priori est, quia etiam in hoc casu homo consentit vere et simpliciter metu iniusto coactus: ad hoc enim, ut aliquis dicatur proprie ex metu aliquid facere, non requiritur quod metus hac intentione inferatur, ut constat in eo, qui metu naufragii proicit merces in mare, qui propiissime dicitur operari ex metu... Arguit (SANCHEZ)... quia tunc non impellitur homo ab alio ad matrimonium... sed contrahens id voluntarie eligit, ut medium ad evadendum periculum. Respondetur tamen ex dictis, non impelli quidem immediatae, sed mediate ad matrimonium ab inferente metum, sicut qui proicit merces in mare, impellitur immediate a metu mortis, et mediate a tempestate, quae illum metum intulit... licet (metus) ab initio non fuerit incussus ad contractum; postea vero quando jam ad eam conventionem venit, jam iniustus oppressor minatur mortem, si non contrahat. Ergo perinde se habet, ac si ab initio minatus eam fuisset, si non consentiret» (*De justitia et jure*, disp. XXII, sect. VII, nn. 177-180).

Non obstante hac contraria sententia J. B. DE LUGO, praevalens doctrina (cfr. auctores cit. a M. WYSZYNSKI, art. cit. a. 1932, p. 122 ss.; G. DOSSFTTI, *o. c.*, p. 188, nota 1) et jurisprudencia sive Veteris Rotae (cfr. e. gr. *S. Rotae Romanae, Decisiones Recentiones*, pars XVIII, t. II, dec. DXIV, *Taurinen.*, d. 10 maii a. 1675, nn. 15-16), sive S. C. Concilii (cfr. e. gr. *Thesaurus resolutionum S. C. Concilii*, t. III, pp. 67 et 164, *Mutinen.* dec. d. 19 augusti a. 1724 et d. 9 junii a. 1725; t. CXLIX, p. 388 ss. *Bonomien.*, dec. d. 10 maii a. 1890, et «A. S. S.», XXIII, p. 140 ss. Quoad causam *Vigilien.*, diei 23 junii et diei 13 julii a. 1725, de qua in *Thesaurus* cit. t. III. pp. 176, 188, 208, 221 et apud *Fontes C. J. C.* vol. V, n. 3.300, pp. 744-746, cfr. M. WYSZYNSKI, art. cit. in «*Jus Pontificium*» a. 1933, pp. 57-58, et G. DQSSETTI, *o. c.*, pp. 188-189, nota 1), sive Novae Rotae ante Codicem J. C. (cfr. e. gr. *Decisiones S. R. Rotae*, vol. II, p. 69, n. 2, dec. d. 26 februarii a. 1910 *coram Many*; *ibid.*, p. 289, n. 2, dec. d. 21 julii a. 1910 *coram Sebastianelli*; vol. III, p. 115, n. 2, dec. d. 13 martii a. 1911 *coram Many*; *ibid.* p. 123, n. 2, dec. d. 20 martii a. 1911 *coram Many*; *ibid.* p. 229, n. 6, dec. d.

2 junii a. 1911 *Videntibus Omnibus*; ibid. p. 238, n. 2, dec. d. 9 julii a. 1911 *coram Prior*; vol. IV, p. 22, n. 4, dec. d. 11 januarii a. 1912 *coram Heiner*; ibid. p. 441, n. 5, dec. d. 27 augusti a. 1912 *coram Lega*; vol. V, p. 463, n. 2, dec. d. 14 julii a. 1913 *coram Sincero*; ibid. p. 613, n. 4, dec. d. 29 nov. a. 1913 *coram Prior*; vol. IX, p. 10, n. 7, dec. d. 3 januarii a. 1917 *coram Cattani-Amadori*; etc.) tali constantia tenuerunt matrimonium non irritari metu qui non fuisset incussus ad extorquendum consensum, ut F. X. WERNZ a. 1912 scribere potuerit: «sententia Lugonis nostra aetate non amplius videtur solide probabilis. Nam juris textus, v. gr. capita X *De Spons.* IV, I, 15, 28, non excepto cap. 14, constanter referuntur ad coactionem in ordine ad matrimonium, neque adversarii ullam possunt allegare causam, in qua SS. CC. ipsorum sententiam adoptarint» (*Jus Decretalium*, ed. 1912, t. IV, n. 265, nota 25).

Quidam tamen auctores, etiam probati (cfr. F. SCHMALZGRUEBER: *Jus ecclesiasticum*, l. IV, tit. I, nn. 391, 398 ss. et alios quos citat M. WYSZYNSKI, *art. cit.* a. 1932, p. 123 ss.) opinionem J. B. DE LUGO secuti sunt.

Nunc vero investigandum est utrum prior an altera sententia in Codice sancita sit.

Dum in can. 103 *metus* contraponitur *vi*, in can. 1.087, § 1 vis et metus coniunctim sumuntur, locutione quae tum in iure romano (Cod. II, 19), cum in iure canonico (l. I, tit. 40 *Decretalium*), constanter significavit vim quae per metum operatur, seu metum qui procedit a *vi*. Ratio distinctionis in hoc est quod, dum in can. 103, § 1, agitur de violentia absoluta quae non afficit nisi actum externum corporalem, in can. 1.087, § 1, agitur de *vi* quam Canonistae vocaverunt conditionalem (cfr. e. gr. JOHANNES ANDREAE: *Novella Commentaria*, l. I, tit. 40 *De his quae vi*, c. 15 *Sacris*; TH. SANCHEZ, *o. c.* l. IV, disp. I, n. 1 ss.; A. BALLERINI-D. PALMIERI: *De Matrimonio*, ed. a. 1894, n. 1.114; H. NOLDIN-A. SCHMITT: *De Sacramentis*, ed. a. 1945, n. 633; F. X. WERNZ-P. VIDAL-PH. AGUIRRE: *Jus matrimoniale*, ed. a. 1946, n. 496); decisio d. 21 decembris a. 1951 *coram infrascripto Ponente*; quaeque afficit actum internum elicatum a voluntate.

Sive vis absoluta sive vis conditionalis ab extrinseco procedit, id est ex actu voluntatis alienae, liberae et humanae, quae violentia physica in primo casu, violentia morali in altero, determinatum persequitur finem, qui proinde antea a vim inferente cognosci debet. Violentiae autem obiectum est actus alterius hominis, quem vim inferens extorquere intendit, actus nempe corporis seu imperatus si inferatur vis absoluta, actus elicitus a voluntate si agatur de *vi* conditionali: in utroque casu obiectum vis illatae, id est actus violentiam patientis, est conforme ad voluntatem subiecti inferentis vim.

In can. 1.087, § 1, ut animadvertimus, agitur de violentia condicionali seu morali, quia vis absoluta seu physica, quae totalem defectum voluntatis seu consensus praesupponit, rectius dicitur can. 1.086, § 2, comprehendi. Postquam mentio facta est vis vel metus, in can. 1.087, § 1, edicitur metu certis qualitatibus induto matrimonium irritari. Quia vero haec requisita, vel iuxta gramaticam, directe referuntur ad metum, non ad vim, inquirendum est quid secumferat, notione sua, metus et quidem metus ab extrinseco incussus.

Metus, natura sua (cfr. *D. IV*, 2, 1; S. THOMAS: *Summa Theologica*, I, II, q. 42-43), ne concipitur quidem sine malo: est enim instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio. Blanditiae, preces, invitationes, hortationes, consilia, per se nullum malum comminantur, ideoque nec metum incutiunt, sed alium ad agendum ex persuasione vel benignitate, ideoque plena libertate, excitare intendunt. Malum proinde, e. gr. modestia, fastidium, et metus quae cum iisdem forte connectuntur, utpote circumstantiis accidentalibus tribuenda, non praesumuntur, sed probanda sunt (cfr. e. gr. *Decisiones S. R. Rotae*, vol. XXIII, pp. 113-114, nn. 5 et 7, decisio d. 31 martii a. 1931 *coram Wynen*); insuper probari debet eadem fuisse iniusta et ita gravia ut nupturiens ad contrahendum vere coactus fuerit. *Metus ab extrinseco* est formula canonistis inventa, quorum primus videtur D. SOTO (*De iustitia et iure*, l. VII, q. II, art. 1; cfr. G. DOSSETTI, *o. c.*, p. 128), dum in iure romano memoratur *metus illatus* (*D. IV*, 2, 9). Sive tamen *metus illatus* romanorum, sive *metus ab extrinseco* canonistarum, idem significarunt, id est metum incussum ab homine mediantibus minis (cfr. e. gr. HOSTIENSIS: *Summa*, l. III, tit. 31 *De Regularibus*, c. 17 *Sicut nobis*; JOHANNES ANDRAEA, *o. c.*, l. III, tit. 31 *De Regularibus*, c. 17 *Sicut nobis*; et alii ad idem c. 17, *IX*, III, 31; D. SOTO, *l. c.* Inter recentiores cfr. e. gr. I. DE LUGO, *o. c.*, disp. XXII, sect. VII, nn. 112-113; F. SCHMALZGRUEBER, *o. c.*, l. I, tit. I, nn. 389; A. BALLERINI-D. PALMIERI, *o. c.*, n. 1.114; P. GASPARRI, *o. c.*, ed. a. 1932, n. 852; F. M. CAPPELLO, *o. c.*, ed. a. 1947, n. 607; *Decisiones S. R. Rotae*, vol. XVII, p. 240, n. 2, dec. d. 15 junii a. 1925 *coram Jullien*; vol. XXII, p. 613, n. 2, dec. d. 24 nov. a. 1930 *coram Mannucci*; vol. XXII, p. 489, n. 2, dec. d. 14 dec. a. 1931 *coram Mannucci*; vol. XXIV, p. 403, n. 3, dec. d. 4 augusti a. 1932 *coram Wynen*).

Matrimonium non irritat metus nisi sit ab extrinseco *incussus* «id est non tantum ex parte metuentis passus, sed vere et positive ab alio illatus» (G. MICHELS: *Principia generalia de personis*, p. 515).

Incussus proinde esse non potest nisi metus ab homine illatus, imo, iuxta constantem doctrinam et iurisprudentiam, *ex voluntate* procedens minitantis (cfr. e. gr. SYLVESTER DE PRIERIO: *Summa*, v. Votum, n. 12; A. BLAT: *Commentarium Codicis Juris Canonici*, l. III, pars I, n. 486; B. OJETTI:

Commentarium, t. II, p. 148; *Decisiones S. R. Rotae*, vol. XX, p. 310, n. 7, decisio d. 25 iulii a. 1928 *coram Grazioli*; vol. XXIII, p. 103, n. 5, decisio d. 27 martii a. 1931 *coram Grazioli*; *ibid.*, p. 489, n. 2, decisio d. 14 decembris a. 1931 *coram Mannucci*; vol. XXIV, p. 403, n. 3, decisio d. 4 augusti a. 1932 *coram Wynen*; vol. XXVII, p. 648, n. 2, decisio d. 10 decembris a. 1935 *coram Morano*): secus enim metus neque iniustus erit; haec insuper voluntas inferentis metum debet esse aliquo modo manifestata seu expressa (cfr. e. gr. *Decisiones S. R. Rotae*, vol. XVIII, p. 117, n. 2, decisio d. 9 aprilis a. 1926 *coram Parrillo*; vol. XXII, p. 613, n. 3, decisio d. 24 novembris a. 1930 *coram Mannucci*; vol. XXIII, p. 415, n. 4, decisio d. 11 augusti a. 1931 *coram Wynen*): nam quod nullimode manifestatur momentum habere nequit in iure, neque ab extrinseco superare contrarietatem ac minuere libertatem.

Praeterea matrimonium metu non invalidatur, nisi metus incussus ab extrinseco sit causa contractus (cfr. e. gr. *Decisiones S. R. Rotae*, vol. XV, p. 40, n. 3, decisio d. 5 martii a. 1923 *coram Jullien*; vol. XVIII, p. 175, nn. 2-3, decisio d. 11 a. 1926 *coram Mannucci*; vol. XIX, p. 446, n. 2, decisio d. 10 novembris a. 1927 *coram Grazioli*; vol. XXII, p. 204, n. 5, decisio d. 4 aprilis a. 1930 *coram Grazioli*; vol. XXIII, p. 182, n. 5, decisio d. 11 maii a. 1931 *coram Grazioli*; *ibid.*, p. 388, n. 2, decisio d. 10 augusti a. 1931 *coram Parrillo*): nisi enim relatio causalitatis intercedat inter metum et matrimonium, contractus non inicitur ob metum prout can. 1.087, § 1 requirit (cfr. etiam can. 103, § 2). Iamvero «*causa* alicuius actus vel effectus is dicitur ad quem actus vel effectus ipse refertur tamquam ad suum auctorem; *causa directa* alicuius actus vel effectus is dicitur qui actum ipsum vel effectum in se et immediate intendit; *indirecta* vero qui non intendit actum vel effectum in seipso et immediate» (D. STAFFA, in «*Apollinaris*», vol. XVI, p. 56), sed alium actum vel effectum qui est causa illius qui de facto producitur. Cum de lege stricte interpretanda agatur (can. 11 et 1.014), causa sensu proprio et stricto sumenda est, ideoque concludendum videretur metum non irritare matrimonium, nisi ipsius sit causa directa. Docuit F. SUAREZ: «quando metus directe incutitur ad extorquendum consensum, esse specialiolem quandam diminutionem libertatis, quae non est in quocumque alio metu ex numeratis; nam in aliis non determinatur voluntas ex vi metus ad eligendam professionem, tanquam medium necessarium ad vitandum malum quod timetur; sed cum malum alioquin immineat, voluntas ipsa ex sua libertate se determinat ad eligendum hoc medium... At vero quando metus directe incutitur ad extorquendum consensum, voluntas ex vi illius quodammodo determinatur ad eligendam professionem tanquam medium necessarium ad vitandum malum illud, quae determinatio longe maior est, magisque contraria libertati; nam, supposita inten-

tione vitandi illud malum, est quaedam necessitas simpliciter» (*De Religione*, l. VI, c. IV, n. 7).

Revera si metus non ad matrimonium sed ad alium finem incussus fuit, deest relatio causalitatis immediatae et necessariae inter metum et matrimonium; matrimonium autem non est effectus necessarius metus ab extrinseco, sed electionis metuentis qui ab initio voluntate sua in matrimonium dirigitur. In hunc actum electionis nulla vis ab alio homine infertur, quia matrimonium non intenditur a metum incutiente, ita ut matrimonium omnino improprie diceretur initum *ob* vim vel metum ab extrinseco incussum. Si metus e contra directe incutiatur ad extorquendum consensum, electio matrimonii non contrahenti sed metum inferenti tamquam propriae causae seu auctori est adscribenda, dum metum patiens voluntate sua non utitur nisi ad se subiiciendum voluntati alienae eamque exsequendam: «Formale discrimen in metu tunc solummodo habetur, quando causa libera humana intervenit: tunc agens ex metu sub dependentia ponitur innaturali et saepe illegitima alterius personae. Haec dependentia seu subordinatio ratio est cur lex divina vel humana actus quosdam ex metu factos ratos habere nolit» (A. VERMEERSCH: *Theologia Moralis* [Brugis, 1926], I, n. 79): tunc revera, imo tunc tantum, in consensu praestando nupturiens sentit se non determinatione suae voluntatis matrimonium inire, sed potius aliena (cfr. G. DOSSETTI, *o. c.*, pp. 547-548; O. GIACCHI: *Il consenso nel matrimonio canonico* [Milano, 1950], p. 103 ss.).

Concludendum ergo videretur vim conditionalem quae, natura sua, ut initio vidimus, tamquam obiectum habet conformitatem voluntatis metum patientis ad voluntatem metum incutientis, iuxta can. 1.087, § 1 effectum irritandi matrimonium non habere nisi matrimonium ipsum sit obiectum seu finis propter quod infertur: secus enim matrimonium neque voluntatem movet metum inferentis, neque metus incussionem determinat, neque ut medium imponitur ad vitandum malum comminatum, ita ut electio matrimonii ex voluntate procedat metuentis.

Conclusio confirmari videretur sive locis Codicis parallelis, sive Iurisprudencia N. S. T. textu et contextu Codicis innixa. Etenim in can. 169, § 1, n. 1, decernitur: «invalidum est suffragium, si elector metu gravi... directe vel indirecte, adactus fuerit»: quia pro metu incusso ad extorquendum suffragium eadem aderat controversia ac pro metu illato ad extorquendum consensum matrimoniale, si Codex sancire voluisset pro irritatione matrimonii sufficientiam metus indirecti, hoc expresse edixisset in can. 1.087, § 1, sicut in can. 169, § 1, n. 1 pro suffragio (G. DOSSETTI, *o. c.*, pp. 209-210).

Jurisprudencia autem N. S. T. usque ad annum 1933 unanimes fuit in exigendum metu directo (cfr. e. gr. *Decisiones S. R. Rotae*, vol. X, p. 15, n. 6, dec. d. 28 januarii a. 1918 *coram Sebastianelli*; *ibid.* p. 28, n. 2, dec. d. 18

februarii a. 1918 *coram Many*; *ibid.* p. 37, n. 2, dec. d. 10 maii a. 1918 *coram Sebastianelli*; *ibid.* p. 43, n. 3, dec. d. 6 iunii a. 1918 *coram Rossetti*; *ibid.* p. 52, n. 2, dec. d. 11 iunii a. 1918 *coram Sincero*; vol. XI, p. 73, n. 2, dec. d. 4 aprilis a. 1919 *coram Sincero*; *ibid.* p. 121, n. 4, dec. d. 8 iulii a. 1919 *coram Prior*; vol. XII, p. 43, n. 2, dec. d. 27 februarii a. 1920 *coram Sincero*; vol. XIII, p. 183, n. 2, dec. d. 2 augusti a. 1921 *coram Massimi*; vol. XIV, p. 230, n. 2, dec. d. iulii a. 1922 *coram Prior*; vol. XV, p. 150, n. 2, dec. d. 10 iulii a. 1923 *coram Grazioli*; *ibid.* p. 204, n. 2, dec. d. 2 augusti a. 1923 *coram Solieri*; *ibid.* p. 213, n. 2, dec. d. 4 augusti a. 1923 *coram Massimi*; *ibid.* p. 238, n. 2, dec. d. 10 augusti a. 1923 *coram Jullien*; vol. XX, p. 273, n. 2, dec. d. 30 iunii a. 1928 *coram Massimi*; vol. XXI, p. 161, n. 3, dec. d. 18 martii a. 1929 *coram Grazioli*; vol. XXII, p. 442, n. 2, dec. d. 24 iulii a. 1930 *coram Mannucci*; vol. XXIII, p. 103, n. 5, dec. d. 27 martii a. 1931 *coram Grazioli*; etc.). Unica exceptio constituitur sententia diei 9 ianuarii a. 1922 *coram Florczak*—vol. XIV, p. 3, n. 3—, qui tamen postea contrariam sententiam est amplexatus—*cfr.* vol. XVIII, p. 63, n. 2, dec. d. 6 martii a. 1926; *ibid.* p. 307, n. 2, dec. d. 5 augusti a. 1926—. Immo, etiam post a. 1933 nonnumquam N. S. T. metum directum requisivit (*cfr.* *Decisiones S. R. Rotae*, vol. XXVII, p. 623, n. 5, decisio d. 2 decembris a. 1935 *coram Grazioli*; vol. XXVIII, p. 705, n. 6, decisio d. 6 novembris a. 1936 *coram Grazioli*; vol. XXX, p. 534, n. 2, decisio d. 8 augusti a. 1938 *coram Grazioli*; vol. XXXIII, p. 10, n. 2, decisio d. 17 ianuarii a. 1941 *coram Grazioli*; *ibid.* p. 346, n. 2, decisio d. 2 martii a. 1941 *coram Teodori*. *Cfr.* etiam vol. XXXI, p. 522, n. 2, decisio d. 16 octobris a. 1939 *coram Jullien*; vol. XXXII, p. 135, n. 3, decisio d. 16 februarii a. 1940 *coram Teodori*). Quibus probatur neque autoritate P. GASPARRI, iuxta infra dicenda, omnia dubia fuisse dissipata (*cfr.* etiam F. X. WERNZ-P. VIDAL-PH. AGUIRRE: *Jus matrimoniale*, ed. a. 1946, n. 501; H. NOLDIN-A. SCHMITT: *De Sacramentis*, ed. a. 1945, n. 634, 3.^o; TH. M. VLAMING-L. BENDER: *Praelectiones Juris Matrimonialis*, ed. a. 1950, p. 404; G. DOSSETTI: *ll. cc.*; O. GIACCHI, *l. c.*).

Nec nisi ob argumenta desumpta ex hac vis conditionalis natura, formula can. 1.087, § 1 C. J. J. reformata fuit pro Ecclesia orientali Motu proprio *Crebrae Allatae*: haec enim mutatio explicari non potest mera ratione historica (*cfr.* A COUSSA: *De Matrimonio*, n. 150), quae potissime valere debuisset pro C. J. C.: dubium sane non est formulam can. 78 Motus proprii a canonistis et Jurisprudentia Ecclesiae latinae fuisse excogitatum, et ab iisdem in orientales Synodos transiisse.

Contra necessitatem metus directi ad extorquendum consensum, obiicitur: sive directe sive indirecte incutiatur, ex metu oriri potest in subiecto patiente

illa animi trepidatio, ob quam matrimonium ineatur, quod non iniretur nisi malum immineret; quia in utroque casu eadem habetur animi trepidatio, idem debet esse consecrarium, id est matrimonii nullitas. Respondetur probatum non esse quod ex eadem animi trepidatione haberi debeat idem consecrarium id est matrimonii irritatio, nam etiam ex metu ab intrinseco talis causari potest animi trepidatio, quin matrimonii nullitas consequatur. Tandem non absque ratione § 2, can. 1.087 decernit: «Nullus alius metus, etiamsi det causam contractui matrimonii nullitatem secumfert.»

Quamvis sententia quae necessitatem propugnat metus directi ad extorquendum consensum, perfecte logica et irrefutabilis appareat, constat eandem a C. J. C. fuisse exclusam. Refert P. GASPARRI in novissima editione sui operis: «Ut legitur in actis praeparatoriis ad Codicem, examini Consultorum propositus fuerat canon primae sententiae favens: § 1. *Nullum quoque est matrimonium initum ob metum gravem ab extrinseco et iniuste incussum in ordine ad extorquendum consensum matrimonialem.* Praeses Commissionis recoluit gravem, quae in subiecta materia aderat, controversiam inter canonistas; et P. PALMIERI proposuit ut formula, quae in suo voto erat quaeque utramque sententiam comprehendit, acceptaretur: *Metus debet esse ab extrinseco, iniuste incussus, a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium,* quae re ipsa acceptata fuit. Hinc iure Codicis nullum est matrimonium tum si metus gravis sit directe incussus ad extorquendum consensum matrimonialem, tum si ad hoc non sit directe incussus, sed pars persuasum habeat se ab eo liberare non posse, nisi matrimonium contrahat» (*De Matrimonio*, n. 856).

Quoad hunc textum animadverti potest argumentum desumptum e studiis praevis legibus, caute accipiendum esse, praesertim in iure canonico: «Sane, qui munus accipiunt a Sancta Sede legem praeparandi, nullo modo participant potestati legislativae, secus ac fit in comitiis Civitatum, et eorum doctrina et opinio est opinio viri privati» (A. VAN HOVE: *De Legibus ecclesiasticis*, a. 1930, p. 273, n. 265). Neque opinio relata P. GASPARRI aestimanda est ut interpretatio authentica; at, quamvis ipse munere Praesidis Commissionis pro Codice redigendo jam functus esset, quae ipse enarrat fidem plenam faciunt discussionis habitae de hac quaestione et mentis illorum qui Codicem pararunt. Iamvero praesumendum est «nisi contrarium constet, legislatorem verbis tribuisse sensum quem ipsis tribuerunt viri qui legem paraverunt» (H. I. CICOGNANI-D. STAFFA: *Commentarium ad primum librum C. J. C.*, a. 1939, vol. I, p. 296), quoties «legislator in lege sua fecit verba ab illis viris doctis proposita» (G. MICHIELS: *Normae Generales*, ed. 1949, vol. I, p. 533).

Tali sedulitate in Codice parando quaestio nostra discussa fuit, ut nullum dubium supersit de voluntate tribuendi, saltem iure positivo, metui indirecto vim irritantem nuptias.

Relatam formulam D. PALMIERI proposuerat in suo schemate a. 1905, eamque commendabat prout sequitur: «dummodo metus gravis causa sit ut quis invitus contractum ineat, contractus erit rescindibilis, seu inferens metum tenetur resarcire laeso omnia damna ideoque et rescindere contractum, quod in matrimonio fieri nequit nisi ab initio dirimatur. Sane c. 14 *De Spons.* omnis metus gravis excluditur».

In sessione Consultorum d. 4 ianuarii a. 1906 textus propositus erat iste: «Nullum quoque est matrimonium inicum ob metum gravem, naturalem, ab extrinseco, iniuste et directe incussum ad extorquendum consensum.» G. SEBASTIANELLI proposuit suppressionem adiectivi *naturalem* utpote inutilis, et verbi *directe*. P. BASTIEN concinit cum SEBASTIANELLI. B. POMPILI approbavit suppressionem adiectivi «naturalem». D. PALMIERI refutavit opinionem TH. SANCHEZ et propugnavit sententiam J. B. DE LUGO. P. GASPARRI accessit ad votum D. PALMIERI «riconoscendo in entrambi i casi: del metus *directe* vel *indirecte* incussum uguale diminuzione di volontà». F. X. WERNZ e contra hanc mutationem in formula proposuit: «... iniuste et in ordine ad extorquendum consensum matrimoniale incussum».

In sessione Consultorum diei 11 ianuarii a. 1906, textus propositus erat: «Nullum quoque est matrimonium inicum ob metum gravem, ab extrinseco et iniuste incussum in ordine extorquendum consensum.» G. SEBASTIANELLI et B. POMPILI faverunt suppressioni verborum «ad extorquendum consensum»; P. GASPARRI recoluit gravem in hac re controversiam in doctrina; D. PALMIERI institit pro formula quam prius exhibuerat; G. DE LAI textum omnino novum praesentavit, qui tamen reiectus fuit; F. X. WERNZ defendit schema propositum, animadvertens iurisprudentiam S. C. Concilii metum semper requirere incussum in ordine ad extorquendum consensum.

Sessioni Consultorum diei 25 ianuarii a. 1906 fere idem schema subiectum fuit ac praecedenti sessioni, id est: «Invalidum quoque est matrimonium ob metum gravem, ab extrinseco et iniuste incussum in ordine ad extorquendum consensum coniugalem.» G. SEBASTIANELLI iterum favit suppressioni locutionis «in ordine ad extorquendum consensum», ne controversia definiretur; P. BASTIEN e contra approbavit schema uti iacebat; item G. VAN ROSSUM et F. X. WERNZ; dum D. PALMIERI sententiam suam retinui (a capo). Congregationi Particulari EE. PP. Cardinalium diei 21 maii a. 1906 idem textus propositus fuit ac in praecedenti sessione Consultorum, addita in nota sententia D. PALMIERI pro metu indirecto, quam Cardinales FERRATA, GENNARI,

VIVES approbarunt. Inde omissa fuit clausula «in ordine ad extorquendum consensum».

Haec decisio confirmata fuit ab EE. PP. in subsequenti Congregatione Particulari diei 16 iulii a. 1906, cui textus oblatus fuerat immutatus, id est cum clausula omittenda. Interim tamen, id est inter diem 21 maii et diem 16 iulii a. 1906, aliud verbum irrepserat: dum antea nulla mentio erat de vi, novum schema edicebat matrimonium invalidari *ob vim* vel metus. Quia ex actis non eruitur cuinam additio adscribenda sit, haec tribui nequit nisi P. GASPARRI. Demum in schemate a. 1909 textus prostat prout postea sancitus fuit.

Concludendum est ergo iuxta Codicem metum quoque indirectum irritare matrimonium, id est etiam, si non inferatur ad extorquendum consensum, sed alia de causa, e. gr. propter odium, vindictam, rapinam, etc., dummodo a causa extrinseca, libera et humana procedat, gravis sit et ad iniustum finem incutiatur, etiam si a matrimonio diversum; quapropter applicanda sunt ea omnia quae supra tradidimus de qualitatibus metus invalidantis nuptias, iis tamen exceptis quae necessitatem respiciunt metus directe. Neque ad necessitatem probandam metus directi vim iuvat inferre in verbum *cogatur* (cfr. G. DOSSETTI, *o. c.*, p. 207 ss.): verum est D. PALMIERI, qui textus can. 1.087, § 1, artifex dici potest, alia antea formula usum fuisse, id est: «metus... a quo ut te liberes eligis matrimonium» (A. BALLERINI-D. PALMIERI, *o. c.*, n. 1.129), sed huic mutationi nullum peculiare momentumtribuendum est prout eruere licet e voto eiusdem D. PALMIERI a. 1905, in quo simpliciter animadvertitur matrimonium esse nullum, etsi contrahens metu ab aliquo cogatur ad ducendam e. gr. unam e puellis alicuius conservatorii.

Tandem quoad can. 1.087, § 2, in Congregatione Particulari EE. PP. Cardinalium d. 21 maii a. 1906, P. GASPARRI declaravit hac paragrapho reici falsam sententiam docentium metu etiam levi, dummodo causam dante contractui, matrimonium (in foro interno) irritari.

Iurisprudencia N. S. T. nunc communiter necessitatem excludit metus directi: ita imprimis sententia *coram Wynen* d. 5 decembris a. 1933, quae iure tamen necessitatem vindicat metus directi quoties agatur de metu reverentiali qualificato: *Decisiones S. R. Rotae*, vol. XXV, p. 608, n. 3. Postea: vol. XXIX, p. 783, n. 2, decisio d. 22 decembris a. 1937 *coram Jullien*; vol. XXX, p. 251, n. 6, decisio d. 27 aprilis a. 1938 *coram Pecorari*; *ibid.* p. 438, n. 5, decisio d. 20 iulii a. 1938 *coram Pecorari*; *ibid.* p. 650, n. 6, decisio d. 30 novembris a. 1938 *coram Pecorari*; vol. XXXII, p. 660, n. 3, decisio d. 3 augusti a. 1940 *coram Canestri*; *ibid.* p. 791, n. 2, decisio d. 16 novembris a. 1940 *coram Canestri*; vol. XXXIII, p. 518, n. 5, decisio d. 19 iunii a. 1941 *coram Janasik*; vol. XXXV, p. 468, n. 2, decisio d. 19 iunii

a. 1943 *coram Heard*; vol. XXXVI, p. 361, n. 3, decisio d. 26 maii a. 1944 *coram Wynen*.

Quantum deceat in hac re, quae non respicit diversitatem ritus sed libertatem consensus, eandem normam vigere in tota Ecclesia, nemo est qui non videat.

Usque dum textus can. 1.087, § 1, reformetur, censemus, intra limites ab eodem praefinitos, metum quoque indirectum irritare matrimonium initum inter unum fidelem ritus latini et alium ritus orientalis (cfr. decisio d. 23 martii a. 1956 *coram infrascripto Ponente*).

Sive matrimonium contrahatur inter duos fideles ritus latini, sive inter unum latinum et alium orientalem, sive inter duos orientales, necessarium non est quod metus ab incutiente inferatur ad contrahendum cum determinata persona (cfr. e. gr. TH. SANCHEZ, *o. c.*, l. IV, disp. 12, n. 20; F. SCHMALZGRUEBER, *o. c.*, l. IV, tit. 1, n. 396; *S. Rotae Romanae decisiones recentiores in compendium redactae*, ad. v. *Matrimonium contractum per vim et metum*; *Decisiones S. R. Rotae*, vol. VII, p. 112, n. 2, dec. d. 15 martii a. 1915 *coram Sebastianelli*; vol. XIX, p. 435, n. 2, decisio d. 19 octobris a. 1927 *coram Jullien*): etiamsi enim quis gravibus minis ad matrimonium in genere ineundum cogatur, e. gr. ne in ordinem religiosum ingredi possit, matrimonium ob metum contrahitur et ad illud voluntate aliena et iniusta compellitur: praeterea, ut supra vidimus, formula in Codice sancita omne dubium dissipari voluit de vi irritanti metus etiam ad matrimonium indeterminatum incussi.

Etiam si tandem quis necessitatem admittat metus directi vi can. 1.087, § 1, in Ecclesia latina, et ideo ad normam can. 78, § 1, pro Ecclesia orientali, certum est non requiri metum *ab initio* illatum ad extorquendum consensum: si enim momentum consideremus quod revera interest, id est quo consensus praestatur, metus ad illum extorquendum habetur etiam si immediate antea in eum dirigitur. Metum ab initio ad hunc finem incussum quidam requirebant fautores sententiae severioris (cfr. e. gr. D. COVARRUVIAS: *Opera omnia* [Coloniae Allobrogum, a. 1724], t. I, p. 181.—*De Matrimonio*, pars II, c. III, § IV, n. 25; TH. SANCHEZ, *o. c.*, l. IV, disp. 12, nn. 9-11, quos refutavit post alios (cfr. L. LESSIUS: *De justitia et jure*, l. II, c. XVII, dub. 6, n. 40 et alios quos citat M. WYSZYNSKI, *art. cit.* in «*Jus Pontificium*», a. 1932, p. 46)—J. B. DE LUGO (*o. c.*, disp. XXII, sect. VII, n. 180. Cfr. etiam M. ROSSET: *De Sacramento Matrimonii*, nn. 1.304-1.310). Illorum vero sententia excludenda est, nam, etsi initio metus ad alium finem directus fuerit, sufficit ut postea, id est oblatis nuptiis, in eas metus dirigatur ab incutiente, ut ab eodem extortae seu coactae dicantur. Iuxta hanc sententiam pluries pro nullitate concludendum erit in casibus qui inter Veteres contro-

vertebantur (cfr. J. B. DE LUGO, *o. c.*); insuper cum hac sententia concordat decisio sub veteri jure exarata a P. LAMBERTINI, in *Vigilien.* d. 23 iunii et 13 julii a. 1725.—cfr. *Thesaurus resolutionum S. C. Concilii, l. c.*— Accidere quidem potest ut, matrimonio oblato, ob timorem ad alium finem incussum, metum patiens illud ineat ex amore vel absque aversione; aut metum inferens a mali comminatione recedat independenter a matrimonio et hanc suae voluntatis mutationem ostendat: in his casibus patet matrimonium libere, non ex metu, contrahi; etenim qualisqumque metus ad annullandum matrimonium concurrere debet in ipso actu matrimonii, nec sufficit quod antea intervenerit (cfr. e. gr. *S. Rotae Romanae decisiones recentiores*, pars IV, t. I, dec. DC, n. 2). Pluries tamen contrarium concludendum erit: si enim metum inferens malum comminatur ob finem a matrimonio diversum, et a comminatione recedit propter nuptias sibi vel alii oblatas, pluries voluntatem simul ostendet malum iam comminatum infligendi, si metum patiens matrimonium recuset.